



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 191. An indulgentia pro certo tempore concessa, possit intra illud tempus sæpius obtineri, si repetantur opera injuncta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

nem hesternam & Communionem hodiernam pro utriusque indulgentiis hodie & cras lucrandis, testaturque *Dicast.* multos viros doctos in Hispania interrogatos ita sensisse. Idem dicunt *Turr. Dian. Escob. Comit.* licet prima primo die mensis, secunda sexto lucranda esset, rationem dant, quia Bullæ non mathematicè sed moraliter volunt ista opera fieri tempore pro tali indulgentia assignato, quod tum videtur esse, si non distet longius: Hinc Theologi Collegii Romani (uno excepto, qui contradixit) interrogati ab hac Provincia putarunt ad lucrandas indulgentias festo Circumcisionis sufficere, quod quis in festo Nativitatis Christi confessus communicarit, referendo etiam ad indulgentias Circumcisionis: Rationem dant, quia verba, *qui verè pœnitentes confessi & communicati* in Bullis *Pauli III. & Greg. XIII.* iunguntur cum verbo, *visitaverint*, & non cum festo Circumcisionis, ipsi autem octiduo antè confessi & communicati ex intentione hujus indulgentiæ, hodie festo Circumcisionis visitant templum & in eo orant, ergo adimplent verba concessionis. Addunt non ob stare, quòd interim fortè inciderint in mortale, dummodo de hoc ante visitationem templi & orationem conterantur. Hæc illi, an probabiliter, judicent alii.

1373 §. 3. Easdem indulgentias non potest quis sibi lucrari & simul alteri applicare, uti dictum est n. 1366.

1374 Q. 191. An indulgentia pro certo tempore concessa, possit intra illud tempus sæpius obtineri, si repetantur opera injuncta. R. §. 1. *Busenb.* cum aliis dicit probabilius esse, quòd non, & *Fill. t. 8. c.*

10. n. 278. dicit sic declarasse *Clementem VIII.* etiam de Jubilæo anni sancti: Et n. 765. dicit idem respondisse S. Congregationem. His tamen non obstantibus multi, cum *Gob. De Jubilæo* c. 20. q. 57. & c. 14. q. 40., & *Viva* q. 6. a. ult. Item alii apud *Belleg.* p. 6. f. 2. q. 7. adhuc tenent contrarium, nisi in Bulla aliud exprimat: quod adhuc plures dicunt, si in tua patria lucreris & postea alibi peregrinus. Sæpe tamen Papa tollit potestatem bis lucrandi, uti apud nos in diebus anticineralibus. Hoc est probabile, si concessa sit Indulgentia ad augendam devotionem populi, vel ob concursum ejus per totam aliquam octavam, vel ob diuturniorem celebritatem festi alicujus Sancti, tum singulis diebus posse de novo à præstantibus requisita talem Indulgentiam obtineri, uti quibusdam locis conceditur illis, qui interfunt Officiis divinis in festo & per octavam Venerabilis Sacramenti.

§. 2. Si dicatur, quòd festo Patroni vel Titularis sint Indulgentiæ in aliquo templo, si duo Sancti, qui diversis diebus celebrantur, sint æquè principaliter Patroni vel Titularis, probabiliter utroque die habetur Indulgentia, uti dixi l. 4. à n. 1262. 1375

Q. 192. Si festum transferatur, an simul transferantur indulgentiæ. R. Negant *Az. Fagund. Portel.* in qq. Regul. v. Festi dies, & alii, quia sunt affixæ illi diei, quo ordinariè est festum. E contra affirmant alii cum *Diana* p. 6. t. 7. & 8. R. 31. dummodo festum transferatur in choro & foro. *Gob.* in *Quin.* t. 4. n. 327. dicit satis esse, si transferatur etiam in choro tantum, saltem de primariis festis religiosorum, quia ratio manet eadem, 1376